



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XLIV. Per peccatum mortale consolationes, quas Deus iustis tempore
mortis dare solet, amitti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

runt, conformando se cum diuinâ eius voluntate, laudando ipsum, gratiasque ei propter illas agendo.

Per peccatum mortale consolationes, quas Deus iustis tempore mortis dare solet, amitti.

CAP. XLIV.

TAmetsi Deus in omnibus magnis vitæ huius aduersitatibus, ac tribulationibus Fideles, qui ipsius legem obseruant, consolatur, atque confortat, vt diximus; id tamen abundantius, & cum specialiore prouidentia facit tempore mortis. Nam fidelis amicus tempore maioris necessitatis magis amicitiam suam amico ostendit, fauendo ei, ipsumque consolando. Ita Sapiens, *omni tempore, inquit, diligit corde, & operibus, qui amicus est, & in angustijs, grauique afflictione cognoscitur, & comprobatur ille, qui tam specialis est amicus, vt fratris locum, opinionemque sustineat.* Cum ergo Deus

a. *Prou. 17. 17.* homi-

hominis iusti amicus, valdeque magnus amicus sit, vt ipse Dominus IESVS Christus testatur, discipulis suis dicens: *a Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis:* Cum item sit frater noster, siquidem naturam nostram assumpsit, nosque aeterni Patris sui filios adoptiuos fecit, quemadmodum affirmavit, quando post resurrectionem suam dixit: *b Dicite fratribus meis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum:* Consequens est, vt tempore mortis, quod maximae angustiae, tribulationisque tempus est, hominem iustum valde dilecturus sit, & hunc eum amorem reipsam ostensurus, iuuando ipsum plurimum, & consolando. Hanc consolationem operatur Deus mortis tempore in animam iusti, dans ei ingens lumen ad cognoscendum, valdeque liquidò sentiendum, quantum bonum sit mori, & quantum lucrum per bonam mortem fiat; quomodo per eam liberetur ab omnibus peccatis, vitaeque

Y 2

que

a Ioan. 15. 14. b Ioan. 20. 17.

que huius miseris, & introducatur in beatam vitam, ubi Deum visurus, & amaturus est cum summâ perfectione, eodémq; cum summo, & æterno gaudio fruiturus. Et præter hunc sensum dat simul ei spem admodum viuam, certamque consequendi hoc tam ineffabile bonum, quod bonam mortem subsequitur. Atque hinc sæpè ipsi pax quædam, & securitas adeò mirabilis venit, vt sit veluti promulsis quædam, seu principium gloriæ, quam sperat. Ita S. Gregorius, *iustis*, inquit, *initium cælestis retributionis, est ipsa plerumque in obitu securitas mentis*. Nascitur quoque in iustis hæc consolatio, & læticia spiritualis ex eo, quòd ipsorum desiderium impleatur. Desiderant enim Deum perfectissimè amare, & glorificare; cumque sciant, hoc desiderium non posse impleri in hac vitâ, in quâ ille per velum fidei, & per creaturas videtur, sed in cælo, ubi eum facie ad faciem per seipsum visuri sunt; idcirco desi-

a D. Greg. l. 6, mor. c. 21.

desiderant mortem, & hac veniente solatio, lætitiâque perfunduntur. a Vnde S. Augustinus, *sunt homines, inquit, qui desiderant istam vitam; & patienter tolerant mortem, luctantes aduersum se, vt sequantur voluntatem Dei: Alij sunt (ijque ordinariè homines perfecti) qui desiderant mortem, non quòd pati fugiant, sed vt dissoluantur à mortali corpore, & sint cum Christo. Et hi patienter viuunt, sequentes Dei voluntatem, & delectabiliter ac cum gaudio moriuntur.* Ita S. Augustinus.

Prætereà huius consolationis, quam iusti tempore mortis habent, causa, est supernaturalis, valdeque singularis fauor, quem ipsis Deus præstat, quo eis adimuntur, vel certè temperantur naturales timores mortis, ipsique confortantur ad vincendam ipsam naturam, quæ horret mori, & ad sentendam facilitatem, suauitatémque in eo, quod naturaliter tam difficile, & amarum est, quàm mors. Quoniam iusti in

Y 3 vitâ

a D. Aug. tr. 9. in epist. 1. Ioannis,

vitâ suâ vehementer timuerunt offen-
 sas Dei, diuinaque eius iudicia, & om-
 nem suam voluptatem, ac gustum in
 exequendâ eiusdem voluntate posue-
 runt; Deus tempore mortis ipsis natu-
 rales illius ac iudicij, timores eximit,
 eosque consolationibus cælestibus, &
 gloriæ suæ gustibus confortat. *a* Ita
 S. Gregorius affirmat, dicens: *Sancti
 viri, quia viuentes diuina se formidini
 medullitus subdunt; omne in aduentu ad-
 uersarij pondus humani timoris, qui eos
 affligere, & contristare posset, mortis
 tempore abijciunt.* Huius specialis fa-
 uoris, quem Deus iustis tempore mor-
 tis exhibet, non pauca exempla in sa-
 crâ scripturâ legimus. Iacob Patriar-
 cha fuit in vitâ suâ magnus Dei seruus,
 & mortis tempore Deus tantum ei lu-
 men dedit, vt mysteria IESV Christi,
 inde post sesquimille annos implenda
 cognouerit, eaque filijs suis reuelârit,
 & suam cuique benedictionem dede-
 rit, cum magnâ certitudine, Deum il-
 las

a D. Greg. ubi supra.

las omnes impleturum, & magnâ cum pace, securitatēque colligens pedes suos super lectulum, spiritum Deo reddiderit. *a* Moyfes viuens magnus Dei amicus, eiusque voluntati obedientissimus fuit; & mortis tempore iussit eum Deus ascendere in altum montem, vnde ostendit ipsi terram promissionis, locutus cum eo, consolatusque eum est, ad benè moriendum iuuit, ipseque per Angelos sepulcrū ei fecit, in hoc eum intulit, & iusta funebria illi soluit. *b* In nouo Testamento, in quo mors non amplius mors est, sed dulcissimus somnus, & in æternam vitam transitus (siquidem cæli porta aperta est, nec animæ iustorum, postquam purgatæ sunt, in limbo detinentur, sed statim in cælestes habitationes ascendunt) plenæ sunt historiæ de huiusmodi felicissimis mortibus, & mirabili fauore, atque consolatione, quam Deus seruis suis dat, stipatis. *c* Earum quasdam alibi

Y 4 retu-

a Gen. 49. 2. *b* Dent. 34. 6. *c* De
imit. p. 1. tr. 7.

retulimus, & alias nonnullas hinc, ut
 præfenti proposito satisfiat, adijcie-
 mus. *a* S. Zosimus Abbas cum per de-
 fertum quoddam iter haberet, inuenit
 Sanctum Senem, Deo ibi seruientem,
 cum quo postquam sermonem habuif-
 set, dimisso eo Senex *duas horas in ora-
 tione compleuit.* Deinde intuitus illum
 Zosimus, vidit totum diuino quodam
 splendore plenum, ut *appareret facies
 eius, tanquam ignis, in signum magni lu-
 minis, & consolationis, quam Deus
 animæ ipsius infuderat.* Mox ingenti
 cum quiete, suauitateque exhalauit
 animam, quæ in cælum euolauit. *b*
 Cum S. Abbas Sysois in extremis esset,
 multi Patres circumfidentes viderunt
*faciem eius resplendere, tanquam So-
 lem, magnamque præ se lætitiã fer-
 re.* Et cum eum loqui cum quibusdam
 Sanctis de cælo ipsum visitantibus au-
 dirent, interrogârunt, quinam illi es-
 sent; responditq; eis ad omnium con-

sola-

a In Prat. spir. c. 123. *b* In Apophth. dit.
 p. 2. l. 3. n. 6. in Biblioth.

solationem, venisse ad se Angelos, & Apostolos. Iamque moriturus, *Ecce*, inquit, *Dominus venit, dicens: Afferte mihi vas electionis Eremiti. Et continuo reddidit spiritum*, qui cum tam glorioso comitatu in cælum ascendit; & cella repleta est odore suavitatis. *a* In iisdem Apophthegmatis de alio Dei seruo Senne, legitur, qui, cum Fratres lectum morientis circumdantes flerent, aperuit oculos, eosque aspexit, & lato admodum vultu suaviter subrisit. Causamque risus interrogatus, *video*, inquit, *quia ex huius vitæ labore ad æternam requiem vado*. Quo dicto clausit oculos, & statim spiritum Deo reddidit. Ita fauet, consolaturque Deus in morte eos, qui viuentes ipsi seruièrunt. Et est pro meliore huius veritatis intelligentiâ valdè notandum, aliquos homines sanctos tempore mortis magnum ostendisse timorem, vt Sanctum Agathonem, qui moriturus dixit: *b Laboravi virtute, quâ potui, in*

Y 5

custo-

a P. 1. l. 11. c. 48. b In Apoph, diu. l. 11. c. 20

custodiendis mandatis Dei; sed homo sum,
& timeo; aliter enim sunt iudicia Dei,
aliter hominum. Verum his ipsis, tam-
 etsi timebant, magnum Deus animum,
 solatiumque præbebat, quo vincebant
 illum timorem, & in spiritu gaude-
 bant; sed ipsi ad conseruandam humi-
 litatem, & ad aliorum doctrinam, me-
 tum ostendebant, & quam sentiebant,
 consolationem occultabant: quemad-
 modum in eodem Abbate Agathone
 apparuit, qui cum hæc tanti timoris
 verba protulisset, vellentq; eum præ-
 sentes alia interrogare, dixit: *Nolite*
mecum loqui, quia occupatus sum; osten-
 dens se cœlites quosdam aduenientes
 cernere, & ingens vultu ipso gaudium,
 quod ex cordis lætitiâ procedebat,
 præferens, *emisit spiritum.* O quantus
 hic fauor, & quàm incomparabile Dei
 in iustos beneficium est, quòd tempo-
 re mortis, quando viri admodum for-
 tes timent, & magni principes tre-
 munt, & magni sapientes trepidant,
 omnesque tristitiâ, & anxietate pleni
 sunt,

sunt
 nic
 eò q
 in ec
 & c
 dixi
 uore
 cello
 ctio
 eos,
 & e
 vmb
 ab o
 bens
 sola
 sola
 habe
 tale.
 Dei
 deef
 Deu
 nece
 eum
 Deu

sunt, hi confortentur, liberi metu, plenique gaudio, ac diuinâ consolatione, eò quod Deum amicum habeant, qui in eo articulo illos protegit, defendit, & consolatur! Magnâ ratione Isaias dixit: *a Super omnem gloriam, seu favorem quantumvis gloriosum, & excellentem, est Dei erga iustos protectio, & conseruatio, præsertim erga eos, qui in Christianâ Ecclesiâ viuent; & est ipsis spirituale tabernaculum, & umbraculum diuinum, defendens eos ab omnibus malis, ac periculis, & præbens illis mirificam securitatem, & consolationem.* Hic tantus fauor, & consolatio, quam iusti tempore mortis habent, amittitur per peccatum mortale. Nam per illud homo desinit esse Dei amicus, fitque eius inimicus, & sic deest ipsi fauor, & consolatio, quam Deus amicis suis dat tempore maximæ necessitatis; & præterquàm quod hæc eum consolatio deficit, est insuper Deus ab illo, tanquam hoste suo, alie-

Y 6

nus.

a Is. 4. 5.

nus. Iam cum mors naturâ suâ res tam
 formidabilis, tam amara, tamque pe-
 riculosa, & impijs ianua sit ad subeun-
 da æterna tormenta; homo illi vicinus
 existens, & præteritorum peccatorû,
 quibus Infernum meretur, recordans,
 consideransque iudicium Dei, vbi præ-
 sentabitur, qui tam iustus, & rectus
 est, vt nullum peccatum impunitum
 dimissurus, & propter vnicum mor-
 tale peccatum momento temporis
 commissum ad æterna tormenta con-
 demnatus sit, deficiente ipsum hoc
 fauore, & consolatione diuinâ, quan-
 tam tristitiam, & anxietatem sentiet?
 quæ tormenta, quæ deliquia, quæ diffi-
 dentia miserum eius cor affligent? &
 in quàm manifesto insuper damnatio-
 nis periculo se conspiciet? Etenim his
 talibus ordinariè accidit, vt tunc tem-
 poris nec vires, nec animum agendi
 pœnitentiam habeant, nec serio con-
 fitendi, nec de peccatis suis, tanquam
 Dei offensis, dolendi, & si confiteri vo-
 lunt, non inueniunt confessarium; & si
 inue-

inue-
 bent
 non
 sint
 testa
 omni
 reijc
 pœn
 S. Bo
 veru
 semp
 in m
 dulge
 Deu
 Sano
 euen
 ad f
 pecc
 num
 vitan
 ad m
 solat
 fruar
 a
 b

inveniunt, quando is venit, non habent perfectum iudicium, & si habent, non est ipsis animus aliena, licet possint, quamprimùm restituendi, nec testamentum statim condendi, sed omnia differunt, & in posterum diem reijciunt, sicque moriuntur sine verâ pœnitentiâ, & impletur in illis, quod S. Bonaventura dicit: *a Hoc tendo, hoc verum puto, quòd ei non bonus est finis, cui semper fuit mala vita: Et, rarò accidit, ut in morte mereatur divinam obtinere indulgentiam, qui dum sanus est, & validus, Deum offendere non formidat.* Sic ait iste Sanctus, & hoc est, quod ordinariè euenit, quodque nobis satis esse debet ad fugiendum summâ cum diligentia peccatum mortale, quod tantum damnationem infert, & ad inchoandam bonam vitam, in eâque perseverandum vsque ad mortem, in quâ hoc fauore, & consolatione, quam Deus seruis suis dat, fruamur. *b* Ut enim S. Augustinus lo-

Y 7 qui-

a D. Bonau. in l. de contempt. sec.

b D. Aug. l. 1. de ciu. Dei, c. 11.

quitur, *mala mors putanda non est, quam bona vita precesserit.* Neque enim Deus illum, qui viuit, valensque ipsi seruerit, in maximâ necessitate, ac periculo deserturus est, neque hoc in infinitam Dei bonitatem, & misericordiam cadit: sed tunc (quemadmodum diximus, sacra testatur scriptura, iusti que omnes experti sunt) maximi futuri sunt fauores, & auxilia, quæ Deus impertiet ijs, qui viuentes ipsi seruerunt, quibus eos animabit, confortabit, consolabiturque, vt cum spirituali tranquillitate, mortis ærumnam sustineant, & cum pace securitatēque ex temporali, ac miserabili vitâ ad æternam, beatamque migrent.

Declaratur, quomodo peccatum mortale causa sit mala mortis propter ingratitudinem peccatoris.

C A P. XLV.

PRæter dictas à nobis rationes, ob quas peccatum mortale causa male mor-